Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg

Bibliographische Daten

Titel: Aristoteles – Nürnberg, STN, Cent. IV, 1
Signatur: Cent. IV, 1

Die Nutzung der Digitalisate von gemeinfreien Werken aus den Sammlungen der Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg ist gemäß den Bedingungen der Creative-Commons-Lizenz Public Domain Mark 1.0 uneingeschränkt und kostenfrei erlaubt.

Im Sinne guter wissenschaftlicher Praxis wird gebeten, bei der Verwendung von durch die Stadtbibliothek im Bildungscampus überlassenen Digitalisaten stets die Quellenangabe in folgender Form zu verwenden: Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg, [Bestandssignatur + Blatt/Seite]

Im Interesse einer laufenden Dokumentation und der Information für Benutzerinnen und Benutzer erbittet die Stadtbibliothek die Überlassung von Belegexemplaren oder Sonderdrucken von Veröffentlichungen, die aus der Benutzung von Handschriften und anderen Medien in den historischen Sammlungen der Stadtbibliothek hervorgegangen sind. Sollte eine Abgabe nicht möglich sein, wird um Mitteilung der bibliographischen Daten der Publikation gebeten.

finis et bonum aliorum. nam quod cuius
causa optimum et finis aliorum
vult esse. nil autem differat dicere sive
bonum sive apparens bonum. Cau-
se quidem igitur hec et tot sunt specie. Mo-
di vero causarum numero quidem
multi sunt, capitulati vero et hy
pauciores. dicuntur enim cause multipliciter
et ipsarum eiusdem speciei prius et po-
sterius alia quam alia ut sanitatis
medicus et artifex. et eius quod
dyapason duplum et numerus. et semper
continentia quecumque singularium.
Amplius autem ut accidens et horum
genera velut statue aliter poli-
cletus et aliter statue factor quia
accidit statue factori policletum esse.
Et continencia accidens ut homo
causa statue aut et totaliter animal
quia policletus homo et homo animal.
Sunt autem et accidentium alia aliis
remotius et propinquius ut si al-
bus et musicus causa dicuntur
statue et non solum policletus
aut homo. Preter omnia autem et
proprie dicta et secundum accidens. hec quidem
ut potentia dicuntur. illa vero ut age-
ntia ut ipsius edificari edifica-
tor edificans edificator. Similiter autem
dicetur et in quibus cause cause di-
cuntur ut huius statue aut omnino
ymaginis aut eris huius aut
eris aut omnino materie. Et in
accidentibus similiter. Amplius autem complexa
et hec et illa dicentur ut nec po-
licletus nec statue factor. sed po-
licletus statue factor. Attamen omnia
hec sunt pluralitate sex. dupliciter
autem dicta. aut enim ut singulare
aut ut genus. et ipsius per se aut
secundum accidens. aut ut genus accidentis.
aut complexa hec aut ut sim-
pliciter dicta. Amplius autem ut a-
gentia aut secundum potenciam diffe-
runt. aut in tantum quod agentia quidem
et singularia simul sunt et non
sunt et ipsa et cause quorum.
et hic medicans cum hoc convalesce-
nte et hic edificator cum hoc edifica-
to. Que autem non secundum potestatem
non semper corrumpuntur enim
non simul domus et edificator.
Elementum dicitur ex quo com-
ponitur primo inexistente indi-
visibili specie in aliam speciem ut
vocis elementa ex quibus vox
componitur et in que dividitur ultima.
Illa vero non adhuc in alias vo-
ces ab ipsis specie differentes. Sed et si
dividantur particule eiusdem
speciei ut aque particula aqua. sed
non sillabe. Similiter et corpo-
rum elementa dicentes in que di-
viduntur corpora ultima. illa
autem non adhuc in alia specie
differentia corpora et sive unum sive plu-
ra talia. hec elementa dicunt. Similiter autem et que
dyagrammatum dicuntur elementa.
et omnino que in demonstrationibus
nam prime demonstrationes
et in pluribus demonstrationibus
existentes hee elementa demonstrationum
dicuntur. Sunt autem tales sillogismi primi
ex tribus per unum medium. Et transfe-
rentes autem elementum vocant
hinc quod unum ens et parvum
ad multa sit utile. propter quod et
parvum et simplex et indivisibile ele-
mentum dicitur. unde venerunt maxime universalia
elementa esse quia unumquodque ipsorum
unum ens et simplex in multis
existit aut omnibus aut quam
plurimis. et unum et punctum
principia videntur esse.
Quoniam ergo vocata genera universalia
et indivisibilia. non enim est ip-
sorum ratio. elementa genera dicunt aliqui
magis quam differentiam quia universalius magis